GODEFRIDUS ADMONTENSIS
2. Hälfte 12. Jh. Seite 195r
Quelle: http://manuscripta.at/?ID=25959
Copyright: Admont, Benediktinerstift



insinuans ait. Amen amen dico tibi. nisi quis renatus fuerit ex aqua
et spiritu. non potest introire in regnum dei. Quod natum est ex carne caro est.
et quod natum est de spiritu spiritus est. Ac si dicat. Impossibile quidem est hominem
senem iterum ex utero matris sue corporaliter nasci. sed non impossibile est.
immo ualde necessarium est per aquam baptismi. et per gratiam spiritus sancti in
uisibiliter regenerari et abluti. nam quod natum est ex carne caro est. id est
homo non dum renatus totus caro est. quia nichil in eo sanctum uel spirituale est. Postquam uero
spiritualiter et inuisibiliter renatus fuerit. non solum spiritualis sed etiam spiritus uocari po
terit. quia sicut inuisibilis est substantia spiritus sancti. ita et homo in xpo rena
tus. inuisibiliter factus est filius dei. Non mireris inquit quia dixi tibi. oportet
uos nasci denuo. Nichodemus non dum plenius instructus. mirari de hac
inuisibili natiuitate non immerito poterat. unde et bonus ille doctor:
auctorem huius natiuitatis euidentius illi adhuc insinuat et manifes
tat. Spiritus inquit ubi uult spirat. et uocem eius audis. sed non scis unde ueniat
aut quo uadat. Quasi dicat. Mox ut spiritus sanctus per inuocationem uerbi
dei uirtute sua aquas aspirando sanctificat. ita omnis qui in eis baptizantur.
mundat et regenerat. ut de filiis mortis et diaboli. filios dei et here
des regni celestis efficiat. Et uocem inquit eius audis. et nescis unde ueni
at aut quo uadat. Ubi uox spiritus sancti loquitur. ibi non terrena sed celestia. non carna
lia audiuntur sed spiritualia. et tamen scire non possumus. unde quando. uel quomodo
gratia spiritus sancti in cor hominis qui loquitur ueniat. uel ad quem finem et fructum
eadem gratia uadat et procedat. Sic est inquit omnis qui natus est ex spiritu. Omnis
homo qui inuisibiliter intus renatus fuerit. incipit esse fidelis et spiritualis
quod non erat. et tamen si in futuro eternam gratiam accepturus sit ignorat.
Respondit nichodemus et dixit ei. Quomodo possunt hec fieri. Non quasi
infidelis et incredulus qualiter hec fieri possint interrogat. sed modum
et ordinem quo fieri ualeant exponi sibi expostulat. Tu es inquit ma
gister in israel. et hec ignoras. Hec uerba domini. non uerba sunt incre
pantis. sed admonentis. non hec solum. sed et omnes qui magistri uocari uo
lunt. ad humilitatis uiam prouocantis. ne quis magister uocari

Respondit ihesus et dixit ei.